




Opuscula

GRADUS
ÆTERNÆ FELICITATIS,
Post completum laudabilîs Vitæ cursum,
præcellenti virtuti, & præclaris in Ecclesia
DEI Meritis,
Illustris & Admodùm Reverendi Domini,

D. PAULI MISKIEWICZ,
CURATI in PŁOKI,
Viri ob probitatem, prudentiam,
perenni memoria dignissimi,
è Regione Cælesti,
PORRECTVS.
ac dùm
In Ecclesia Parochiali in Płokí,
ultimô & intimô Christianæ pietatis obsequiô,
Cineres Mortalitatis ejus, tumularentur,
A

M. JACOBO JOSEPHO KĘMPSKI,
In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore,
& Professore,
dolenti penna.

EXARATUS.
Anno, Solis Justitiæ, gradum Virginis, in
terris ascendentis, 1714.
Die Mensis Decembris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

GRADUS
ÆTERNÆ FELICITATIS.

Quid agitis ô Fata!

Quos fovere debetis, suffocatis.
Ah Parcæ! non parcè furore furentes,
etiam Virtuti non parcentes,
forsitan,
Viros Sapientes, Orbis Phænices censetis,
ideo, eos in Cineres vertere, properatis.
Dum maximè Orbi, vivere incipiunt,
Acutam falcem experiuntur.
Phaetonteus à vobis casus est,
è luce publica in mortales umbras labentibus.

Notum nunc arcanum!

Mundanâ sapiētiâ excellētes, nō solum obruere, vobis gratum est;
Etiam Cælesti Enthusiasmo animati,
Viri docti, sapientes, prudentes,
Vestram inexplebilem coguntur satiare orexim.

Bene qui agunt,

Fatorum invidiam merentur.
Si qui illustres olim apparebant; duris eclipsari debent umbris.

Eheu!

Quam levibus pereunt ingentia causis!
Eggreditur quasi flos & velut umbra perit,
quamvis eminentioris Vitæ homo!

Ast cedite Cæca Numina!

Invidia vestra, signum est Cælestis gratiæ.
Ingens hic furor, mitem Deum conciliat.
Et dùm viventes deprimitis,
illis Gradum æternæ felicitatis extruitis.

Viri virtute præstantes,
etsi à vobis degradantur,
Digni profectò, quibus ad Cælestem Patriã gradus,
ipse Phidias extruat.
Recipis, quod Tuæ probitati precamur,
Gradum beatæ Felicitatis,
Illustris & Admodùm Reverende Domine,
D. PAVLE
MISKIEWICZ,
Curate in Płoki, Vir in Ecclesia DEI
meritissime.
Qui etsi inter fatales Cupressos,
vivere desinis,
immortalis vitæ palmam capis.
Vir hic,
Etiam in ipso sui exortu, felicem præseferebat Vitæ finem.
Nondùm ille ætatis prætextam exuerat,
& jam moribus maturus extiterat.
Quæ Annosis vix datur prudẽtia, hâc ille in juvenili ætate, floruit.
Præscivit Almam Universitatem,
Fontem esse scientiarum,
Extra fabulam, Atalanteo passu,
hùc ad fatidicos cucurrit Cæphisos,
Ut præcellenti doctrina, tandem in Ecclesia DEI,
Oraculum appareret.
In primo ingressu ad studia,
Studium ei erat, pulchri Nominis.
Literis attendens, sine lite contedebat,
Ut quovis momento, declinaret à malo,
Cælestia bona possessurus.
Scandit Parnassi colles,

vel ideo,
Vt æternorum Procurator donorum, inter Pierios Latices,
Cæleſtes Charites numeraret,
vel ideo,
Vt Apollinem Cæleſtem, rebus in humanis ludentem, cōcipiēdo,
Uberioribus Divinæ gratiæ alveis lotus,
Inter fabulas, veritatem cognoſceret.
Vtiq; magis oppoſita penes ſe poſita eluceſcunt.
Fingere nihil ſciverat,
niſi quod laborem, pro gloria ſumeret.
Quantitatem temporis advertit,
Vt dignoſceret, quô ſuperet modicam vitam æternitas.
Inde,
Pegaſidum ſtipatus choro,
Tullij campos percurrere ſatagit,
Amænitate animum accenſurus,
Infernalis hydræ,
Conſurgentia in Eccleſia DEI Capita deterrere.
Ut Porphirij dolos perciperet,
Ad Logicales præceptorum tetendit vepres,
etiam ex pungentibus ſpinis,
Sinceritatis roſas collecturus.
Tandem poſt emenſa Stagyritæ ſtadia,
Philoſophus optimus extiterat,
Cuncta negotia ſic concludens,
Ut nec Divino, nec humano juri fuerit contrarius.
MIRABERIS,
hic, ubi deſidioſæ ſubmerguntur mentes,
Ille felix in hoc Eurippo Jaſon,
Nec difficile aureum ſapientiæ geſtans vellus, emerſit.
Tractatui de Cælis ſummè attendit,
in terris dux piarum mentium permanſurus.
De Anima bene intellexit,

quia

quia totum tempus, in curam ejus impendit.
Ethicus exactus,
Quidquid intellectu de Virtutibus perceperat,
Ad praxim in vitâ reduxit.
hic jam,
Ubi aliqui, ſcopum ſcientiarum figunt,
Ille initia ad majora inivit.
Prævertit Theologica volumina,
ſupremam appetens divertentiam.
Prævidit Tractatus difficiles,
Facilem ad Viſionē beatificā, Tractum percepturus.
De Voluntate DEI multùm diſcurrit,
à qua nec latum ungvem receſſerat.
Univerſam de Deo ſciētiā facile percepit,
hôc maximè ad bonitatem Divinam penetrans,
quòd bene egerit.
Meliùs vivere dum ſatagit, fato nobiliore, mori deſiderat.
Myſtes ad Aras DEI pijſſimus,
Ætate & meritis venerandus.
Quem ſic grato una Natura munere, decoravit,
ut omnium delicium cordi, adhæſerit.
Ad pietatem dirigendam Monialium Clauſtri S. ANDREÆ
vocatus,
Virginea prece, januam Sponſi continuò pulſabat.
Extra Clauſtrum, clauſtralem vitam egit.
vel ideo ſub Cruce militavit Apoſtoli,
Vt ſequenti vitâ tutiſſimus eſſet.
Commedarius in Klimuntow,
Bene, comiſſum CHRISTI rexit Ovile,
toties accendens ad amorem Divinum, hominum pectora
quoties frigefacta, in fide Catholica, advertit.
In Exedris dum pandit oracula,
diviniores Delphos movere, videbatur.

 O quàm

O quàm multas ore diserto, DEO conciliavit animas!
Quem Iovem ipsum dixeris,
Non unam sed sine numero, producentem doctô Capitis proprij
cerebrô, CHRISTI Sponsas.

Hocce Munus in Koniusza exercens,
Hercules erat:
Qui ita omnem molem, hujus laboris, sustentavit;
ut nemini herbam porrexerit.
Prudentia ejus, Ariadne fuerat,
Quæ errantem Theseum, etiam de maximis Labyrinthis vitiorũ,
potuerat educere.

Atlas hic,
Omni par oneri, & muneri non dispar honori.
Hoc tempore præcipuè apparuerat;
dum maximos labores, in Ecclesia DEI sustentavit.
Adhæserat Magnis Nominibus tanti præstantia Viri,
Quorum tot vota pro se meruerat,
Quot canos in maturiori vita numeravit.

ROSIS SZEMBECIJS allectus,
Mansionaristarum in Cathedrali Ecclesia Arcis Cracoviensis,
Senior creatus,
sic in eo munere resplenduit;
Vt plurimorum pectora & favores in se, converterit.
Dilexit hujus Viri Virtutes,
Perillustris & Admodùm Reverendus Dominus,
D. PETRVS ORŁOWSKI,
J. U. D. Canonicus Cracoviensis, Prælatus
Tarnoviensis Infulatus,
Vir omni encomio major.
Quem ad altiores voluit promovere honores,
sed recusanti, sat meruisse fuerat,

Age calame!
vel inde magnum Virum denunties, quod gratijs Magnatum
circumdatus extiterit;
sic eum complectuntur affectu,

OPA-

OPALINSCIANÆ & KORICINSCIANÆ DOMVS,

ut bene facientem Virum, non solùm beneficijs munificentiæ cumulaverint;

Ast beneficiô Ecclesiasticô donaverint.

Sic ad functionem Beneficij promotus, in Płoki,

In hoc munere, par oneri inventus,

Plebis subjectæ Animis,

semper addidit animum Cælestem.

Vitia nunquam sectari potuerat;

qui conjunctus probitati munita DEI loquebatur.

Præpositura in Szczekociny,

Præponi sibi tantum Virum optaverat,

Ni ejus modestia prohibuisset.

Ad varia Negotia vocatus,

Mira ingenij dexteritate,

Adeo suffecerat omnibus;

Ut nec unico passu ab affectu hominũ recesserit.

Liberalitatem MISKIEVIJ,

Ornamenta Ecclesiæ in Płoki nuntiabunt.

Campanaria, quam proprio sumptu extruxit,

vehementiori sono, Orbi beneficia ejus, declarabit.

Hic Pastor Meritissimus,

Cuncta adversa, non averso pectore superans

Dura, magnitudine animi, frangens,

In hoc tantùm frangibilis apparuit,

quod fatis cesserit.

In Conventionibus Decanatus Neomontani, Notarius erat, sed sine nota.

Indulgentiæ, quas apud Sedem Apostolicam Ecclesiæ obtinuit,

jam post fata indulgentiam ei Cælestem, impetrârunt.

Supra decem, post septimum annum, regiminis Ecclesiæ,

Terris desijt, Cælo vivere cæpit;

vel ideo, ut septem gaudia, à Mari gratiarum MARIA obtineret.

Festô ipsô Conceptionis Virginis Beatiss:

 verè

Verè Sodalis Marianus, Æternitati Nomē inscripsit;
Ut qui immaculatæ Conceptionis MARIÆ,
Zelotes extiterat,
Hoc die etiam, Angelorum choro, accederet.
Rosarium summè dilexerat,
Cui, brevi æternam vitam victurus, inscribi curavit;
vel ideo, ut illius Agni qui pascitur inter lilia cordi, adhæsisset.
vel ideo, ut post langvores & labores, molesti mortalium cursus,
Meliùs quàm Pæstanis vel Ierichontinis rosis, animū recreasset,
Titulos BEATISSIMÆ in Litanijs exprimens,
inter ipsas salutationes MARIÆ,
terris valedixit.
Nullam agniturus amaritudinem.
Dulcissimi etiam Nominis JESV,
ante exodium vitæ,
Albo Confraternitatis inscribi voluit,
nigrô calculô nunquam dignus.
Nec potuit male mori, qui bene vixerat.
Aurea in Cælis sæcula victurus,
Reliquias B. JOANNIS CANTIJ,
Aurô comparari curavit,
penes eas mori appetens,
Hoc non nisi suum esse dixerat,
quòd illos venerandos Cineres,
in ultimo vitæ hujus punctô habuerit.
Munitus Sacramentis, cursum vitæ finivit,
Gradûs æternæ, Felicitatis comprehensor.
Horâ tertiâ post mediam noctem, vivere desijt,
Qui semper media, propagationis honoris, TRINITATIS
Sanctissimæ, desideravit.
Perennabit per Te, magnæ virtutis dotibus, doctrinâ & scientijs,
Patruus Tuus dilectissimus,
Excellentissime ac Doctissime Domine,
D. M. JOANNES MISKIEWICZ,
Philosophiæ Doctor, in Collegio Novodvorsciano Grammatices
secun-

secundarum horarum Professor, Scholæ Cathedralis in
Arce Cracoviensi Senior,
& dùm ille Cælestes conscendit Gradus,
Tuas ab oculis, Cælesti solatio, abstergit lachrymas.
Non potest à Te bono affectu disjungi;
qui sangvine junctus erat.
Beneficium animæ à Te poscit;
qui toties bene fecerat.
Nec invidendum ei mærore Cælum,
vtiq; dignis refulgens factis,
illud pridem meruerat.
Permanebit quoq; in corde Vestro, Munificētissimus Benefactor!
Palladis, Generosi Cultores,
MICHAEL & ANTONI OLSZYNSCIJ,
Avunculus Vester,
Et qui Vobis, ab ipsis cunabulis, circa studia, tum pro futura
vita, gratias præstiterat;
Illi, grati, beatitudinem felicis sæculi precemini.
Vivet in amicabilibus Vestrûm pectoribus,
post peractum mortalitatis cursum,
DD. EXECVTORES,
Illustris & Admodùm Reverende Domine,
D. PETRE PAVLE GAWLIKOWSki,
Curate in Zalas.
Illustris & Admodùm Reverende Domine,
D. FRANCISCE GAWLIKOWSKI,
Curate in Nowagorá.
Excell: ac consultissime Domine,
D. ADALBERTE KRZYZANSKI,
J. V. Licentiate Dignissime,
quorum,
Vehementem in Superos ardorem,
mentem pulchris artibus excultam,
delicatam conscientiam, actiones omnes encomio dignas, vidês,
Ipse probitate clarus,

Vestras dotes sic adamavit,
Vt fortunæ suæ portionem,
manibus Vestris commiserit.
Curatos, vel potiùs Curatores,
Cælestî antidotô, animarum
hominum, Vos sciens dignissimos,
suam Animam, curæ Vestræ reliquit.
Eminetis solerti judiciô, in occurrentibus laudabilibus factis;
propterea, properans ad Patriam,
in via, ejusmodi Promotores suos esse voluit.
Dum quoq; ad optata Cælestis gloriæ
pervenit Olympia,
faventibus, in præterita vita,
supremum precibus curabit Olympum.
Succurrite ergo Ejus manibus,
Ille in æternum, bene Vobis precatur,
ut citius consequatur,
Æternæ Felicitatis
Gradum.



PERMISSV
Magnifici Domini
RECTORIS.

